

*Cupidinis et  
Psyches  
fabula*

poetice ementitur. Nobili in civitate puella erat egregia clara pulchritudine, Psyche, regis filia, tribus ex sororibus minima, quae gratissima specie erant. Illam multi cives et advenae copiosi, quos spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat, formositatis admiratione inaccessae perterriti, cum non auderent amare, proni eam venerabantur atque hostiis mactatis placabant et precabantur, tamquam deam quasi. Quae pulchritudinis fama cum late per provincias ad ultimas terrarum oras esset pervagata, multi undique mortalium longis itineribus atque altissimis maris meatibus ad saeculi specimen gloriosum confluebant eiusque causa templa Veneris deserebantur. Quod cum Cythereae invidiam conflavisset, petit a filio Cupidine dea, ut in pulchritudinem contumacem vindicet. Indignatione fremens advolat puer alatus matrem ulturus, qui videt puellam et amat Zephirisque suaviter flantibus in montem adducit. Illam aurea in domo se ex pavore recipientem ita describit: « *Psyche teneris et herbosis locis in ipso toro roscidi graminis suave recubans, tanta mentis perturbatione sedata, dulce conquievit, iamque sufficienti recreata somno, placido resurgit animo. Videt lucum proceris et vastis arboribus consitum, videt fontent vitreo latice perlucidum; medio luci meditullio prope fontis adlapsum domus regia est, aedificata non humanis manibus sed divinis artibus. Iam scies ab introitu primo Dei cuiuspiam luculentum et amoenum videre te diversorum* ». « *Haec et summa cum voluptate visenti offert sese vox quaedam corporis sui nuda et: Quid, inquit, domina, tantis obstupescis opibus? tua sunt haec omnia. Prohinc cubiculo te refer et lectulo lassitudinem refove et ex arbitrio lavacrum pete. Nos, quarum voces accipis, tuae famulae, sedulo tibi praeministrabimus; nec corporis curatae tibi regales epulae morabuntur. Sensit Psyche divinae providentiae beatitudinem monitusque voces informes audiens, et prius somno et mox lavacro fatigationem diluit: visoque statim proxumo semirutundo, sug-*

*gestu propter instrumentum cenatorium rata refectui suo commodum, libens accumbit. Et ilico vini nectarei eduliumque variorum fercula copiosa, nullo serviente, sed tantum spiritu quodam impulsu subministrantur. Nec quenquam tamen illa videre poterat, sed verba tantum audiebat excidentia et solas voces famulas habebat. Post opimas dapes quidam introcessit et cantavit invisus, et alius citharam pulsavit, quae videbatur nec ipsa. Tunc modulatae multitudinis conferta vox ad aures eius affertur, ut, quamvis hominum nemo pareret, chorus autem esse pateret. Finitis voluptatibus, vespera suadent, concedit Psyche cubitum ».* Hanc ignaram per noctem cum Cupido compressisset incognitus diluculo primo avolat vesperi reversurus. Sorores mane sororem de rebus conquirunt, certioresque factae adulescentem ignotum serpentem esse convincunt. Terrore confecta ad monstrum necandum novaculam parat; sub modio lucernam condit; in adulescentulum prope se nocte concubia accumbentem novaculam arripit interfectura; at eximiam conspicata formam desistit stupensque immodesto torretur amoris sensu. Cupido expergefactus extorrem et profugam relinquit. Innumerabiles per aerumnas, diis faventibus, Cupidini laetissima nubit; sollemniter in caelo nuptiae celebrantur. Ex hoc concubitu nata Voluptas, Psyches et Cupidinis filia. Haec caste et pure narrantur, cum non e fabulis Milesiis, ut cetera, promanent, sed meliores, intimiores hominis sensus redoleant.

XXXVII. Sed ad oratores revertamur, nam ab his huc sermo discessit. Apuleio inferiores *Eumenius*, *Nazarius*, *Claudius Mamertinus*, *Depranius Pacatus*, alii fuerunt, qui adulandi causa, ut tempora ferebant, multum quidem, sed sine laude in imperatorum panegyricis condendis desudaverunt. In explicandis rhetorum disciplinis nonnulli post Quintilianum versati sunt, quorum alii tertio saeculo, alii quarto floruerunt. In istis recensendus est *Aquila Romanus*, qui, cum ex Graeco libello Alexandri Numeriani multa

*De figuris  
sententiarum  
et elocutionis*

*Syntagma de  
Arte  
rethorica*

*Maer. V.  
Satur. I.*

*Symm. X.  
Epist. 53. 61.*

decerpsisset, ea Romanorum usui accommodavit; opusculum eius « *De figuris sententiarum et elocutionis* » inscribitur. Incertum utrum huic tribuenda sint « *Schemata Lexeos* » et « *Schemata Dianoeas* » an potius, *Iulio Rufiniano* addicenda, qui paucis post eum annis fuit. In postremis Romanis rhetoribus tum *Messius Arusianus* inscribendus, qui « *Exempla elocutionis ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone digesta per litteras* » confecit, tum *Curius Fortunatianus*, qui in tres libros « *Artem rhetoricam* » redegit, tum *Sulpicius Victor*, qui « *Institutiones oratorias* » laudabiliter scripsit, tum alii innumerabiles scholarum magistri nulla memoria digni.

XXXVIII. Extrema litterarum Latinarum aetas oratorem suum *Q. Aurelium Symmachum* tulit non ignobilem, qui Theodosii et filiorum aetate ingenio, auctoritate, doctrina quam plurimum valuit. Exstant eius, quamquam mutilae et intercisiæ, orationes novem, ex quibus sex de imperio administrando in senatu dixit; reliquæ ad panegyricos spectant. Eius laudes apud veteres rerum scriptores inveniuntur, apud Macrobius, cum ceteris oratoribus comparatio: « *Quattuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Sallustius regnat: siccum, quod Frontoni adscribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor, noster Symmachus luxuriatur* ». Praeter orationes Symmachi exstant « *Epistularum libri decem* » ex quibus multæ scitu dignæ aequalis memoriae notitiae eruuntur. Singularis epistula est oratorio stilo perscripta, qua Romam ita eloquentem apud patres facit, ut se patriæ religionis acerrimum exhibeat defensorem. « *Optimi Principes, patres patriae, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit! utar caerimoniis avitis neque enim paenitet! vivam more meo, quia libera sum, hic cultus in leges meas orbem rededit, haec sacra Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senones repulerunt, ad hoc ego servata sum, ut longaeva reprehendar? Videro quale*

*sit quod instituendum putatur ; sera tamen et contumeliosa est emendatio senectutis ». In eadem epistula pulcherrimus locus alter est, in quo patribus persuadere contendit, ut suam Victoriae aram restituant : « Praestate, oro vos, ut ea quae pueri suscepimus senes posteris relinquamus, consuetudinis amor magnus est.... Suus enim cuique mos, suus cuique ritus est, varios custodes urbibus cunctis mens divina distribuit ; ut animae nascentibus, ita populis fatales genii dividuntur, accedit utilitas, quae maxime homini deos adserit, nam cum ratio omnis in opero sit, unde rectius quam de memoria atque documentis rerum secundarum cognitio venit numinum ? iam si longa aetas auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot saeculis fides et sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos ». Ob constans erga vetustatem studium, vir ingenii praestantissimi atque ceteris in rebus moderatus, iniquo in Christianos animo usus est, quod acerrimos in illis adversarios vel hostes nominis Romani videret. Contra eum divinae religionis causam divus Augustinus eloquentissime dixit, carminibus etiam Prudentius. Cum Symmacho, qui ad multam senectutem aetatem produxit — nam plus quam octoginta annos natus obiit — praevalidum non modo veterum superstitionum robur evanuit sed simul Romana eloquentia omnis ultimo lumine orbata in perpetuum intercidit.*

## ETHNICI PHILOSOPHI

XXXVIII. Genuina et vera Romanorum sapientia in libris *M. Aurelii*, qui imperator creatus est, Graece exaratis, reviruit et simul cum eo recidit. Etenim hic vere Romanus vir atque expressa sapientis imperatoris imago quamvis ex Frontonis umbraculis esset profectus, cuia nihil ad perfectam eloquendi artem philosophorum cogitata interessent, cum

Tὰ εἰς ἑαυτὸν

suapte natura stoicorum se scholis instituendum tradidisset, quam sapientiam ab illis accepit, tanta moderatione temperatam ad domesticos Romanorum mores et publica ad instituta accommodavit, ut Graece scribens, Romanum aliquid et absolutum atque perfectum efficerit. Egregium eius libri duodecim, qui «Τὰ εἰς ἑαυτὸν» inscribuntur, et postremum Romanorum sapientiae exhibit documentū. Simplices sunt, nitidi, rerum magis quam verborum luminibus distincti, tot gravibus, illustribus, reconditis ornati sententiis, ut non modo pristinae in iis virtutis memoria resideat, sed quidam Christianae quasi sapientiae odor suaviter promanet. Iure in aureis temporum omnium scripturis «Τὰ εἰς ἑαυτὸν» habentur, quae non modo munera decus et dignitatem in imperatore amplificaverunt, sed hominum animos impulerunt ad eum perfectionis et virtutis gradum, ubi spiritus unus ab omni materiae concretione sejunctus dominatur et regnat.

XXX. In philosophorum numero — mirum quidem si qualis reapse etiam fuerit homo inspiciamus — *L. Appuleius* ponendus est, quem in oratoribus et fabularum Milesiarum scriptoribus rettulimus. Ceterum iam in illo suo *Asino aureo*, nescio utrum ridendo melius an de iis disputando se in cognitione morum quam qui maxime versatum exhibeat. Ex ingenio, quo multiplici utebatur atque vario, sapientiam dedita opera sibi pertractandam arripuit. E Platonicorum doctrinis, e Iudeorum arcanis, ex Aegyptiorum mysteriis, ex superstitionibus Asiaticorum et ceterarum gentium, quas peregre viserat, novum quoddam et varium et mixtum, et, ut ita dicam, turbulentum philosophiae genus deprompsit, quod ex cogitationibus aliorum et inventis in mente sua conflatum plenam ad artem conformatum redigere conatus est. In tribus libris, qui «*De Platone eiusque dogmate*» inscribuntur, divinum illud ingenium ex neoplatonicorum scholis interpretatus est. In secundo libello «*De Deo Socratis*» inscripto, de daemonibus egit, qui e terricolis ad caelicolas

*De Platone  
eiusque  
dogmate*

*De Deo  
Socratis*

ultra citroque hinc petitiones, suppetias inde portant. In tertio, qui «*De mundo*» est, orbis originem et fabricationem explicat. Ex libris aliis, qui Apuleio attribuuntur, supersunt pauca fragmenta.

*De mundo*

#### CHRISTIANAE SAPIENTIAE SCRIPTORES

XXXI. Appuleio aequalis Afer *Minucius Felix* fuisse videtur, primus quidem Christianorum, qui in scripturarum genere versati sunt, quod Graece apologeticum appellatum est; eius p[re] manibus est dialogus «*Octavius*» inscriptus in quo cultum Christianorum defendit. Caecilium Natalem et Octavium inter se de rebus religiosis disceptantes inducit, illum pro veterum superstitionibus, hunc pro novis doctrinis; vincit in epilogo Octavius. In huiusmodi scripturis dialogus praecipuu[is] habetur ob orationis formam et Ciceronianam quasi elegantiam et vim p[ro]fobandi, quae cum maxima sit, callidissimum deprehendit causidicu[m] hominem. Minucius antequam Christo initiatu[is] est, causas agebat in iudiciis. Afer, sed Minucio aetate posterior — fuit enim sub Severo et Caracalla — *Q. Septimius Florens Tertullianus* fuit, cuius exstant infinita volumina, ad religionem spectantia. Fuit eius aetatis vir omnium doctissimus orator et scriptor, verum in scribendo quam in dicendo vehementior, in artibus omnibus et litteris eruditissimus. Ex eius scripturis laudatur maxime «*Apologeticus*» quem iuris Christianorum quasi renunciationem ad proconsulem Romanum, qui provinciae p[ro]aeerat, ad antistites, ad praesides remisit. Natura intemperans, ad maiora et extrema audenda paratissimus, nimio religionis et morum studio integratatis ad sectam Montanistarum accessit, qui pseudoprophetae cuidam, Montano nomine, fidem haberunt. Qualis reapse fuit, talem se in libris exhibet; asper enim dicax, durus, salebrosus est, et quamvis Ciceronianis quibusdam ornamentis non careat interdum obscurus.

*Apologeticus*

XXXXII. Huius et municeps et familiarissimus, ingenio tamen et natura admodum diversus, *Caecilius Cyprianus* fuit, qui *Thascius* appellatur. Vir hic morum sanctitate in primis insignis, multa iam rhetoris fama multoque ethnicae religionis studio in patria urbe pollebat, cum, Caeciliiano presbytero hortante, Christi religionem suscepit seque, re familiari pauperibus data, illis unis tradidit scientiis, quae ad Dei atque rerum divinarum contemplationem spectant. Eius multitudo exstat voluminum, quae suavem quandam atque quasi mentis divinae imaginem spirant. Ex librorum lectione, quale eius ingenium et indoles fuerit nemo Lactantio melius iudicavit. « *Unus igitur praecipuus et clarus exstitit Cyprianus, quoniam et magnam sibi gloriam ex artis oratoriae professione quaesierat, et admodum multa conscripsit in suo genere admiranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, et, quae sermonis est maxima virtus, aperto: ut discernere nequeas, utrum ne ornatiō in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit* ». Insignis in eius orationibus est, tum rerum copia et doctrinatum quoque sermonis elegantia, illa, quam in conventu et concilio Africanorum episcoporum singulari animi vi atque concitatione pronunciavit. In ceteris autem operibus libri « *De catholicae ecclesiae unitate* » praecipue laudantur, in quibus principium et fundamentum in quaestione admodum vexata unitatem firmam et stabilem esse contendit.

XXXXIII. *Lactantius* fuit et ipse Afer origine. Nam multos Africa, quasi florens sapientissimi cuiusdam magistri schola, oratores et clarissimos in sacris disciplinis protulit uno fere tempore Christianos scriptores. Sed non desunt critici, qui eum Firmi natum credant indeque cognomen *Firmianum* invenisse. In Africa *Arnobio* magistro usus est, qui septem libros « *Adversus nationes* » inscriptos, videlicet adversus ethnicas gentes, multo tritoque rhetorum artificio, diligenter, sincere, composuit. Ex huius doctrinis profectus

*Lact. 5. 1.  
sub fin.*

*De catholicae  
ecclesiae  
unitate*

*Libri adver-  
sus nationes*

Lactantius incredibile est quot quantaque volumina diversas quaestiones pertractantia ediderit. In septem «*Divinarum institutionum*» libris, corpus Christianae sapientiae redegit. Maior in libris concertatoriis conficiendis pro mentis conformatione fuit. Ad genus controversiarum spectant tum liber «*De ira Dei*» in epicureos, qui *Deum immobilem faciunt rerum humanarum quasi inscium*, tum «*De mortibus persecutorum*» in quo res illius expletur. In hoc eloquenter et copiosissime, multis memoratis exemplis, ostendit non sine certo Dei consilio accidisse, ut qui imperatores nullum in Christianos genus crudelitatis intermisissent, hi et tristem vitae suae finem nanciserentur. Tanti autem eius facundia apud aequales habita est, ut *Christianus Cicero* appellaretur. Testis Hieronymus est, in cuius epistula haec de Lactantio verba leguntur: «*Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra affirmare potuisset, quam facile aliena destruxit*». Quibus postremis verbis, ut patet, Dalmatus philosophus Christianus concertatorium librorum genus notat, in quo Lactantius praecipue elaboravit. Nimius fortasse in laudatione Hieronymus fuit; certum tamen est non tantum oratorum ethnicorum sed Christianorum quoque scriptorum facundissimum fuisse eosque oratione eleganti et pura et suavi valde superasse.

XXXXIV. Dalmatus philosophus *Sophronius Eusebius Hieronymus* fuit, cuius scripta bibliothecam conficiunt. In illo enim Bethleemico curarum humanarum divino silentio, in quod, tamquam viator quidam itinere longo confectus, libenti se animo recepit, in disciplinis omnibus mirum est quantum desudaverit. Eius industriae praeclarissima exstant monumenta, alia ad historiam pertinentia, alia ad sapientiam, alia ad eloquentiam, alia ad apologeticam spectantia, quae eruditissimum scriptorum Latinorum lectorem et imitatorem elegantissimum deprehendunt. Animo Christianus, orationis forma Latinus, etiam si quando nollet, Ciceronianus

*Libri divinarum institutionum*

*De ira Dei*

*De mortibus persecutorum*

*Hieron.  
Epist.  
58. n. 10.*

*Libri sacri  
qui dicuntur*

quantum umquam aliis fuit. Cum in sacris Hebraeorum libris Latine vertendis primus industriose elaboravisset, eos ponderosis commentariis multifariam illustravit. Huic nostro maximo tribuitur honori, quod libri ab eo non ineleganter translati ex Pontificum rescriptis Romanorum velut unum exemplar numeris omnibus expletum fidem faciens habentur.

XXXV. Cum Hieronymo, ineunte saeculo Christiano quarto, exstitit et apud nos is ingenii praestantissimi vir, *Ambrosius*, archiepiscopus Mediolanensis, qui quasi cum probitatis atque virtutis, tum sapientiae lumine iacentem et prostratam Italorum doctrinam divinitus erigeret atque recrearet. Singulari in Deum pietate insignis, quam plurima ad religionem illustrandam conscripsit, quam plurima ad mores hominum pie ex Christi praeceptis castigandos vel sapientius ad summam virtutis perfectionem conformandos. In libris laudabiliores sunt, qui «*De officiis ministrorum*» inscribuntur, copioso Ciceroniano dicendi genere exarati, et persuadendi suavitate referti etiam qui contra Novatum «*De poenitentia*» agunt, tum quos ad Marcellinam sororem «*De virginibus*» misit. In his ceterisque non eloquentiae et rerum gravitas tantum inest, sed mellis suavitas, quam ex floribus depastis recentibus apes sedulae asportant. Ita etiam verba, quae ex veteribus scriptoribus scitissime pro aetate qua fuit deponit, barbarie aliqua vix alicubi infusa, sermonem vere Latinum cum sapiant, Romanum ex stirpe natum Romana deprehendunt.

XXXVI. Eius discipulus, archiepiscopus Hipponeensis, *Aurelius Augustinus* fuit, Tagastae in Numidia natus, qui multum ad rem Christianam decoris contulit et reconditis humanitatis sensibus, quibus ipse abundat, Christianorum litteras sacras explevit atque locupletavit. Singulari enim et prope divino praeditus ingenio, centum amplius libros genere et doctrina multum inter se diversos composuit, in quibus profecto rerum divinarum contemplatione summum

*De officiis  
ministrorum*

*De poeni-  
tentia*

*De virginibus*

infirmis terricolarum mentibus datum gradum in scientiis disciplinisque iis attigisse videtur, quae cum sensus superent hominum versenturque in abstrusis atque in excelsioribus rebus, cogitatione una et intentione, homines quasi dii facti, consequimur. Vicit Augustinus, ni fallor, rerum divinarum contemplatione acutissimum quemque ad cogitandum in his tenebris ethnicum hominem Graecum vel Romanum, vicit Christianos. Legas attente, quidquid libet, sermones, epistolas, soliloquios; volve libros commentarios vel «*De civitate Dei*» celebratissimos, vel alios qui «*De doctrina Christiana*» sunt «*De Trinitate*» «*De gratia et libero arbitrio*» volve cetera quoque, si tibi placet, volumina; putabis, in pervolutandis chartis, suavissimis te iucundissimisque somniis uti, vel aeternam quandam in astris tibi mentem loqui atque tecum de rebus altissimis ratiocinari. Confer Augustinum cum scriptoribus ceteris: multos sane in his, qui eum verborum ornatibus praestent atque orationis elegantia superent, facile invenies; maiorem eo aut in sententiis grandiorem aut in rebus illustriorem reperies neminem. Augustini enim sermo neque purus, neque elegans, sed pressus, plenus est et totus in rebus positus. Ceterum palam et dedita opera verborum lumina contemnit. «*Quanto minus*» ait «*nos laborare debemus de regulis derivandorum nominum, quando sive hoc sive illud dicimus, intelligitur sine ambiguitate quod dicitur: quorum non in expolitione sermonis sed in demonstratione veritatis est maior intentio*». Sermone in libris Confessionum meliore utitur, quos ultimos memorare voluimus. Diversi enim a ceteris «*Confessionum libri*» sunt et in aureis gentium omnium scripturis ponendi. Natura enim Augustino dederat, ut humanitatis non parum haberet, quam de se ipso candide loquens in hominum utilitatem et gaudium copiose profunderet. Quae enim ipse in animo sentit, quaeque cum ceteris hominibus habet communia, vitae gaudium et taedium, rerum praeteritarum desiderium,

*De civitate  
Dei*

*De turba  
syntagmatum*

*Aug. contra  
Cresc. 2. l.*

*Confessio-  
num libri*

*Aug. Confess.  
IX. 10. et seqq.*

futurarum expectatio, aeternus humanitatis et doloris sensus infinitus, modo suaviter spirant in libris, modo cum singultu graviter fremunt. Singularis pietate et suavitate refertus locus est, quo matrem e terris ad superos discedentem describit.

#### PHILOLOGI GRAMMATICI RERUM NATURALIUM SCRIPTORES

XXXXVII. Secundo p. Chr. n. saeculo ineunte antiquitatis studia magnos progressus fecerunt. Eae morum atque litterarum condiciones erant, ut homines potius quam nova monumenta suo ingenio inventa ederent, necessitate impulsi ad perpendenda ea ducerentur, quae superioribus saeculis provenissent. Cum enim mentis animique vis defecerit, quae artium et litterarum una effectrix necessaria est, tunc eruditionis studia sua sponte quasi erumpunt et maxime vigent. Ceterum apud imperatores huius aetatis, philologi tantum, grammatici, rhetores, eruditi, cuiusque generis homines in honore erant, qui, cum industriam omnem vel in vitiis sermonis emendandis, vel in explicandis veterum poetarum carminibus, vel in tritissimis artis rhetoricae praeceptis tradendis, vel in colligendis totius antiquitatis notitiis, vel denique in assiduo et inani circa vocabula studio, naviter quidem sed sine ullo genuino admirationis sensu ponerent, nihil ad civium animos erigendos et in libertatem ciendos ex armis litterarum atque praesidio quaerebant. Multi cum diligentes antiquitatis pervestigatores extiterint, omnium acerrimus et peracutus *Aulus Gellius*, qui sub Hadriano et Antonino Pio fuit. Romae cum magistros clarissimos, qui tunc temporis essent, Frontonem et Sulpicium Apollinarem audivisset, quo rerum omnium scientiam sibi compararet, Athenas profectus est, ibique aliquot annis in disciplina Favorini Tauri, aliorum philosophorum fuit. Romam reversus cum esset, causis civilibus iudicandis praefuit. Extrema-

aetate Athenas cum se iterum contulisset, in doctissimorum hominum coetibus frequentissime versans ultimam operi addidit manum, quod multos ante annos inchoatum inter subselliorum curas ad finem perducere non potuerat.

XXXXVIII. In opere, quod « *Noctes Atticae* » inscribitur, quia longinquis, ut ipse ait, per hiemem noctibus in agro terrae Atticae commentationes suas facere orsus erat, via compendiaria, at eruditione abundans varium disciplinarum omnium pabulum praebet. Quae praecipua et memoria digna in auctoribus invenerat ad historiam, ad grammaticam, ad rhetoricam, ad sapientiam spectantia, ea omnia, nullo ordine quasi praestituto, in suos libros ita rettulit, ut non idem constanter fuerit dicendi genus. Frontonem tamen, qui in litteris illius aetatis dominabatur, cum sibi sequendum statuisse, in contrarium incidit errorem; nam obsoletis verbis abutitur, nunc novis delectatur; et referendis in rebus suis quasi flumen inflatur et turgescit. Nihilominus maximi hodie a criticis opus habetur; etenim sapientiae et eruditionis cella quaedam penaria est, ex qua incredibile est quot notitiae erui possint ad dignoscendam omnem vetustatem utilissimae. Praeter ceteras praecipua operis laus est, quod multarum scripturarum, quae temporis lapsu aut hominum incuria et oblivione interciderunt, vel excerpta refert vel epitomas continet. Quae ratio in poetis imitandis habenda sit, ex Virgilii exemplo depromit itaque exponit: « *Quando ex poematis graecis vertendae imitandaque sunt insignes sententiae, non semper aiunt enitendum ut omnia verba, in eum, in quem dicta sunt, modum vertamus. Perdunt enim gratiam pleraque, si quasi invita et recusantia violentius transferantur. Scite igitur et considerate Vergilius, cum aut Homeri aut Hesiodi aut Apollonii aut Callimachi aut Theocriti aut quorundam aliorum locos effingeret, partim reliquit, alia expressit. Sicut nuperrime, apud mensam, cum legerentur utraque simul Bucolica Theocriti et Vergilii, animadvertisimus,*

*Noctes  
Atticae*

*Cell. XX.  
Noct. Att. 11.*

*reliquisse Vergilium quod Graecum quidem mire quam suave est, verti autem neque debuit neque potuit. Sed enim quod substituit pro eo, quod omiserat, non abest quin iucundius lepidiusque sit :*

Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἀ Κλεαρίστα.  
Τὰς αἰγας παρελᾶντα, καὶ ἀδύ τι ποπτυλιάζει.  
*Malo me Galatea petit, lasciva puella :*  
*Et fugit ad salices et se cupit ante videri.*

XXXXIX. Cum Gellio complures eruditii, grammatici, critici, litterati homines floruerunt, in quibus mémorandi sunt *Terentius Scaurus*, qui « *Commentarios* » in Plautum, in Horatium, in Virgilium composuit; praeterea nonnulla *Commentarii in poetas* alia *ad poeticam et grammaticam* pertinentia; tum etiam *Calpurnius Flaccus*, cui libellus de scribendorum scientia vocabulorum tribuitur, quem ex Scauri opere deprompsit; tum *Sulpicius Apollinaris*, qui « *Argumenta* » Aeneidis in epitomem redegit libris praemittendam, qui praeterea omnes versuum condendorum leges in opere exposuit; tum secundo saeculo post Gellium *Suetonius Tranquillus*, cuius vitae unae Caesarum notissimae exstant; hic multos libros scripsit eruditione confertos, qui, ni evanuissent, multum ad rem litterariam conferrent; istorum primi decem desiderantur, quos « *Prata* » inscripserat, quod pabulum praeberent. Multitudo cum his libellorum eiusdem intercedit, in quorum duobus *de spectaculis atque certaminibus Romanis* agebatur; in totidem vero *de Roma eiusque institutionibus*, in tribus aliis *de regibus*, in octavo *de ludis Graecorum*, in nono *de rebus variis, de vestibus, de vitiis corporalibus* disputabatur. Erat eius liber quidam commenticius, in quo quendam Ciceronis librum animadversionibus illustrabat.

*Prata*

*Libri de  
varia  
eruditione*

L. Duobus posteris saeculis, praeter *Helenium Aeronom* et *Pomponium Porphyriionem*, utrumque Horatii scholiastas, illum etiam Terentii, praeter *Iulium Romanum*, *Pompeium*

*Festum, Iubam, praeter alios, quorum quisque in re grammatica desudavit, alias alio paulo aetate posterior, Censorinus, Nonius Marcellus, Plotius Sacerdos fuerunt. Ille aureolum, qui nunc exstat, libellum « De die natali » conscripsit, in quo notitiae multorum auctorum et ex Graecis Latinisque loci ad verbum relati reperiuntur. Secundus Nonius opusculum de multiplici verborum significatione in abecedarium ordinem digestum composuit, quod « Compendiosa doctrina per litteras » inscribitur. Tertius vero Plotius in tres libros « Artem grammaticam » rededit, quorum priores tantum ad memoriam nostram pervenerunt.*

*De die natali**Compendiosa  
doctrina per  
litteras**Ars gram-  
matica*

LI. Doctissimus grammaticorum omnium magister, ita ut nomen per pronominationem grammaticam ipsam multos annos sonuerit, circa trecentesimum Christianum annum Romae floruit. Is *Aelius Donatus* ille fuit, ex cuius ludo divus Hieronymus profectus est. Rem grammaticam tribus ponderosis operibus scite atque litterate tractavit, quorum primum « *Ars sive editio prima de litteris, syllabis, pedibus et tonis* » inscribitur; alterum « *Ars sive editio secunda de partibus VIII orationis* » tertium « *De barbarismo, soloecismo, schematibus et tropis* ». Hic etiam Terentii fabulas comicas scholiis illustravit. *Charisius, Diomedes, Servius Honoratus, Claudius Donatus* notulis et animadversionibus Virgilianum poema locupletaverunt, quae exstant. In grammaticorum numero *Martianus Capella* est recensendus, in cuius libro « *nuptiis Philologiae et Minervae* multa reperiuntur ad disciplinam hanc spectantia.

*Hieron.**Apol. ad Ruf.  
1. 16.**Libri de  
rebus  
grammaticis**De nuptiis  
Philologiae  
et Minervae**Saturnalium  
conviviorum  
libri*

LII. Postremo *Aurelius Macrobius Theodosius*, ultimus grammaticus, siquidem saeculo Christi quarto exeunte fuit, qui, eruditionis copiam ex Gellio cum surripisset, *fur et simia dictus* est. « *Saturnalium conviviorum libros septem* » condidit, in quibus, cum disciplinas varias tractavisset, locos ex Graecis et Latinis auctoribus depromptos ad verbum fere transcripsit, vel enucleatim exposuit. Eius commentaria

ad philosophorum rationem exacta in *somnium Scipionis* hac etiam de causa memorantur, quod antequam A. Maius libros de republica invenit, somnium apud eum legebatur. In generibus aliis alii versati sunt. E rerum naturalium scriptoribus, qui tertio p. Chr. n. saeculo fuerunt, memoria digni sunt *Iulius Solinus*, qui Plinium secutus de variis rebus notabilibus libros collectaneos confecit, qui nomine uno «*Polyhistor*» inscribuntur; *Gargilius Martialis*, cuius singulare «*De oleribus et pomis*» opus exstat, in quo de nutrimentis oleorum et arborum de eorumque virtutibus agitur; *Caelius ignotus* quidam opsoniorum structor, cuius decem libri «*De re coquinaria*» supersunt.

*Polyhistor*  
*De oleribus  
et pomis*

*De re  
coquinaria*

LIII. In saeculum quartum *Julius Firmicus Maternus* incidit, qui «*Matheseos libros octo*» minus numeris, quam ineptiis neoplatonicis de siderum natura et motibus farciuntur. *Vegetii Renati* alter *Fublius*, alter *Flavius* inciderunt; hic «*De re militari libros quattuor*» ille singularem de rebus veterinariis libellum «*De mulomedicina*» inscriptum evulgavit, qui unus de rebus huiuscemodi exstat; *Palladius Rutilius*, qui tritam rem rusticam nova rerum partitione et ordine quatuordecim in libris novare conatus est. In primo de tota agrorum colendorum arte praecepta impertitur, opera singulos in menses agenda in ceteris enumerat, in ultimo de insitionibus arborum poetice agit oratione usus numeris adstricta ad Virgilii imitationem.

*Matheseos  
libri*

*De re militari*

*Mulome-  
dicina*

LIV. Scriptores rerum naturalium, qui extremis Latinarum litterarum annis fuerunt, in medendi arte fere omnes versati sunt. Prae ceteris *Priscianus Theodorus*, a grammatico probe distinguendus, qui apud aequales plurimum valuit; eius libri quinque «*Medicinae*» praesentaneae exstant horride atque sermone barbarie satis inquinato elucubrati. In minoribus inscribendi *Marcellus Empiricus*, *Christianus*, qui plura ex libris varie decerpta in opellam «*De medicamentis*» redigit; *Caelius Aurelianus*, qui in libris aliis «*Tardas passiones*»

*Medicinae  
libri*

*Tardae et  
celeres  
passiones*

in aliis «*Celeres*» descriptsit; demum *Cassius Felix*, qui libellum «*De medicina*» evulgavit compendiarum. Cum his etiam *Vibius Sequester* fuit, qui in commoditatem omnium tabulas nominum *fluminam, fontium, lacuum, nemorum, montium, gentium* abecedarium in ordinem confecit. Ut rem aridam et siccum et gravem variaret, locos et versus poetarum rettulit, quos in eorum carminibus invenerat. Per id tempus «*όδοιποροί*» libri scripti sunt, qui «*Itineraria*» nuncupantur. In his ad viatorum usum, itinerum descriptions diversa ratione exaratae continebantur; aliae nomina locorum tantum notabant et longitudines, aliae terrarum conformatiōnēm per tabulas pictas exhibebant.

*De medica-  
mentis**Itineraria*

## DE IURIS PRUDENTIA

LV. Habuit haec aetas litterarum Latinarum postrema singularem et summam, inquam, laudem in perfecta iuris disciplina, quam ab incunabulis fere reipublicae ex legibus duodecim tabularum interpretandis explanandisque ortam, tot continenter saecula numquam intermisserant Romani. Cum cetera omnia, artes, litterae, decus senatus et dignitas et populi libertas, una cum re publica, in extremo emetiendo spatio citius corruerent et frangerentur, una iuris et legum scientia ex corruptione et communi fato se eripuit. Iurisperitorum turba, quasi artifices eundem ad finem operam navantes alter alterius ignarus, connectendis aequandisque legibus se dediderunt, qui ex infinita rerum congerie, bono caementio adhibito, solidum quoddam quasi Romanorum sapientiae aedificium hominibus commune extruxerunt, mirabilibus lineis ordinibusque decoratum, solidis fundamentis arcubusque innisum, quod mole sua immani et ad patriam architecturam rotundum gentes in admirationem hodie quoque trahit vel terrore concutit quasi divino.

LVI. Secundo igitur p. Chr. n. saeculo, tamquam insignia ingenii lumina, plures et doctissimi homines extiterunt, qui ex patria institutione novam iuri cuncto dignitatem attulerunt. In his aetate primus *Salvius Julianus*, ex nobili apud Mediolanos familia oriundus, qui propter sapientiam suam cum Urbis praefecturam esset consecutus cumque bis consulatum gessisset, his in muniberibus perfungendis, quam iuris notitiam a faboleno magistro acceperat, tantam tamque praeclaram in se esse ostendit, ut ab Hadriano sapientissimo principe in unum corpus legum multitudinem et edictorum redigere iussus sit. Mira industria et peritia usus, infinitam legum variarum quasi silvam concinnum in ordinem atque certos in titulos distribuit, ut eandem ad descriptionem *Codex Iustinianus* exprimeretur. Ex collectis hinc inde legibus «*Edictum perpetuum*» conflavit, quod caput et quasi iuris principium mansit. Huic, quo magis perspicua et magis plana interpretatio legum fieret «*Digestorum XC libros*» quaestionibus abstrusis inter seque diversis refertos adiecit. Vir hic insignis sub Commodo imperatore, quod immanitatis monstrum fuit, cum viris aliis clarissimis est perfide caesus.

*Edictum perpetuum*

LVII. Cum Julianus Sextus Pomponius quamquam aetate minor fuit, cuius in Pandectis Iustinianei libellus adiectus invenitur iurisperitorum notitiis memoria dignis abundans; ceterorum librorum pondere atque auctoritate probabilium in Digestis fragmenta servantur; post aliquot annos *Ulpianus Marcellus*, *Cervidius Scaevola*, qui *coryphaeus* legum appellatur, *T. Caius* fuerunt, quorum in Digestis multa operum innumerabilium fragmenta reperiuntur. Istius supersunt integri «*Institutionum libri V*» uni ex scripturis aetatis, qui ad nos pervenerunt. Primus ius tripertitum nobis exhibet: «*Omne ius*» ait «*quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones*» idque ex ordine in libris exponit.

LVIII. Ex Cervidii Scaevolae disciplina profectus est *Aemilius Papinianus*, quem *iuris asylum et doctrinae legalis*

*thesaurum* Spartanus appellat; eius nomen ἀντονομαστικός ius significat. Infinitam voluminibus ponderosis refertam bibliothecam confecit, insignia «*Quaestiones*» et «*Responsa*» erant, primae triginta septem, secunda undeviginti libris collecta. Quanta eius ingenii vis atque iuris scientia fuerit, quanta in sententiis ferendis iudicii subtilitas, cum multis causis aliis colligi possit, ex hac una maxime patet, quod Theodosius, qui centum quinquaginta post eum annis fuit, sanctum hoc ratumque voluit, ut si discrepantes iurisconsultorum sententiae invenirentur, ea verior existimaretur vel probabilius, in quam ille inclinavisset. Vir hic insignis a Caracalla, incestuoso, parricida, crudelissimo imperatore, gladiis obiectus est militum et securi percussus. Papiniani ex umbraculis collegae et discipuli in iure interpretando egregii prodierunt, qui Papinianistae appellati sunt; in illis *Domitius Ulpianus* atque *Iulus Paulus*, quorum primus «*Regularum librum singularem*» et «*Institutiones*» scripsit; alter «*Sententiarum libros*». Utriusque in Digestis innumerabiles loci referuntur.

*Spart. Sev. 21.**Quaestiones**Responsorum  
libri**Regularum  
liber**Sententia-  
rum libri*

LIX. In minoribus eodem tempore, quasi ex istorum sermonibus nati, in aliqua saltem iuris parte laudabiles, *Alfenus iunior*, *Proculus*, *Tarruntius Paternus*, *Terentius Clemens*, *Menander*, *Papyrius Fronto*, *Ruffinus*, *Publius Furius Anthius*, alii. *Herennius Modestinus* autem, qui Caracalla et Alexandro Severo imperantibus fuit, cum iurisperitis numerandus est maximis, ob multitudinem librorum, quos ex *Codicibus Iustinianeis* constat scripsisse. In hunc iurisperitorum desiit fere ordo; qui enim post eum fuerunt, cum ius divinum, humanum, publicum, quod situm in hominum societate est, tum privatum et particulare, quod ex naturae praeceptis est, aut ex usu gentium nascitur, pro humanitate Romanorum pertractatum esset et illustratum, iurisperiti, divinantes quasi instantem rerum ruinam, in codicibus conficiendis festinanter versati sunt, ne tanta legum

*Codex  
Gregorianus*

*Hermoge-  
nianus*

*Codex  
Theodo-  
rianus*

*Codex Iusti-  
nianus*

*Pandectae*

*Institutiones*

*Novellae*

mole posterorum memoriae privarentur. Ex Diocletiani tem-  
poribus *Gregorianus*, nomine tantum nec alicunde notus,  
exstitit, qui leges in codicem redegit, ex eo *Gregorianum*  
appellatum. *Hermogenianus* paulo post provenit, qui alium  
codicem, *Hermogenianum* nuncupatum, condidit. Denique  
sub Theodosio ex latibulis ignotus Christi assecula exstitit,  
qui Christianorum principum leges, rescripta, constitutiones  
corpus in unum redegit; codex tertius hic a Theodosio  
nomen *Theodosianum* invenit.

LX. Res, quae p[re] manibus est, me etiam nolentem ex  
libellorum finibus, quos cum litterarum Latinarum aetates  
describerem quasi terminos mihi non transeundos proposui,  
ad paulo longius procedendum hortatur et impellit. Quinto  
enim saeculo p. Chr. n. *Iustinianus* fuit, qui, ex tribus unum  
codicem fieri iussit, ideo « *Iustinianeum* » appellatum. Idem  
non ita multo post edicta fere infinita, quae provinciis in  
administrandis praetores, quaestores, proconsules renuntia-  
vissent, sententias, quae in iudiciis latae essent, responsa  
clarorum triginta septem iurisperitorum et opinione, cum  
corpus in unum similiter componenda eaque, quod varias  
et promiscuas quaestiones tractarent « *Pandectas* » dicendas  
curavisset, codici suo addidit, quae legum vim ipsarum et  
naturam explicarent, quae certa essent norma ad dubia  
per ius publice interpetranda. Commentationem quandam  
aliquot post annos codici praemitti voluit, quae ad rationem  
scientiarum iuris totius fontes et capita indicaret, ex quibus  
quasi perenne flumen quoddam leges hominum et societas  
scaturiunt, eandemque « *Institutiones* » appellandam decrevit.  
Leges novas, quae interdum essent latae, in unum item  
redactas corpus colligi voluit easdemque dici « *Novellas* ».  
Simile quid, alio in genere, apud gentes Graecas contigit;  
epica carmina, quae dicuntur Homerica, conformatio[n]em,  
quam nunc habent nec non definitam connexionem partium  
et convenientiam, quibus mirabiliter illustrantur, non ante

auream Pisistrati aetatem invenisse, cum tot sint argumenta id ad perspicuitatem probantia, nemo est qui iure in dubium possit revocare. Evidem, etsi nonnullos esse sciam, qui in sententiam suam perseverent unum eundemque poetam utrumque poema et partes utriusque ita ementitum esse affirmantem, ut nunc sunt, ad opinionem illorum inclino, qui carmina singulis a poetis singula inventa fuisse et dissipata, dispersa, incerta per ora hominum vagantia quibusdam ab hominibus contexta esse reputant, ne certa a via iter per saecula agentia aberrarent neve pulchritudinem amitterent suam. Pisistrati iussu, antiquitate tota testante, ex diversis carminibus mirificum confectum poema. Istius Justinianus laudi aemulatus est, nec voluit. Quas leges Romani tulerunt, quae iura ceteris gentibus dedere, quae sive publica sive privata instituta sapienter condiderunt, imperatorum rescripta, annotationes, epistulas, ea, ne maiorum sapientia posteritas privaretur, undique ad usum populorum et commoditatem collecta libris immortalitate dignis commissa extrema litterarum aetate Justinianus per iurisperitos in codices exigenda decrevit. Nimirum aetates antiquorum populorum, cuius e fabulis epicis celeritate mentis Graecorum nata humanitas et per litteras et artes ad cultum omnem promota, in orbem conclusit militari quasi lapide iuris sapientia signatum.